







1713.

1. Hertius, Fern. Ferencis: Rariorum quaedam juris contro-
versiae.
2. Mollenbeckius, Bernhardus Ludovicus: De imperialis
liberalitatis sociis ad l. i. i. c. Cod. de liberalitat. Imper.
Socius sine hered. decernit.
3. Harckmann, Lutor. Fridor. Wilhelm: De foro compe-
tente.
4. Gangius, Jeremias: De expositione infantum
ejusque poena veteri.

1714.

1. Boltes, Joannes: De judiciis petitoriis ac possessoriis
ubi et possessoriis ordinariis ac summariis, differentia.
2. Grotmannus, Melchior V. Thomarus: De operationum debita-
rum mutatione. pars 2. Ed. nova 1767.
3. Schaeff, Antonius: Ad legem Pompeianam de paricidiis
ubi criminis ejusque poena.

1714.

4^a ²⁶ Walpomen, Gethropedi: De eo, quod probum est
circa contractus noviter introductos Vindob. 1714
p. 175f.

1715.

1. Webers, Johann: Specimen perenniarum horti.
Carum et res Germaniae illustrantes imperatorum
2. Grobmannus, Melchior Dehmannus: De operarum debita
rum mutatione, pars 3. potissimum remediis
in mutatione operarum juste attendendis agens.
3. Handwerck, Georgius Ludovicus: De eo, quod probum
est circa aedificia privata. . . .
4. Hoffmeister, Gyp. Gunther: De jure dispensandi
3. Lucius, Joh. Tacubus: Specimen collationis juris
statuterii Noveus. Francofurtensis cum civibus Romens.
ex part. 2. Tit. 1.

6. Meier, Iohannes Gotthardus: Testamentorum conflictu
eorumque in exteros valore.

7. Weberus, Innocentius: De rebus sub lege communi-
ris delatis.

427.

D
R

EX

JO

G

[Faint, illegible handwriting in blue ink, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



I. N. L.

G. 35, num. 5. F. 6.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

IVDICII PETITORII AC
POSSESSORII,

VTI ET

POSSESSORII ORDINARIII
AC SVMMARII, DIFFERENTIA,

QVAM

SVB PRAESIDIO DIVINO

EX AVTHORITATE ET CONSENSV MAGNIFICI NEC
NON AMPLISSIMI IVR. CONS. ORDINIS,

IN ILLVSTRI VNIVERSITATE LVDOVICIANA,

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE

HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

RITE AC LEGITIME CAPESSENDIS,

PVBLICO AC SOLENNI MAGNIFICI ACADEMICI SENATVS
EXAMINI SVEMITTET

AD DIEM 12. IVNII ANNI MDCCLXIV.

IOANNES BOLLES,

MESCHEDENSIS, MODO SIGENAE NASSOVIAE

ADVOCATVS ORDINARIVS.



SOLTVELLAE,

REC. LITTERIS IO. HENR. HELLERI, 1735.

P. 74

1714, 1 5



DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

IVDICII PETITIONIS AC

POSSESSORII

AD

POSSESSORII ORDINARIIS

AC SUMMARIIS DIFFERENTIA

QVAE

IN PRAESIDIUM DIVINO

EX AUCTORITATE ET CONSENSU MAGNIFICI REGIS

NON APOSTOLICI SVD. CONS. ORDINIS

IN UNIVERSITATE IMPERATORIA

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE

HONORABILIS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

ET AC LEGITIME CAPSIS

PUBLICO AC SOLENNI MANTISSA A. M. D. C. LXXV. SEN. T. IVS.

ELIAMI STRASSEN

AD D. N. I. V. N. A. N. N. O. C. I. V. I.

IOANNES BOLLES

MAGISTER IN IURE, MONO THEOLOGICAE FACULTATIS

AD D. N. I. V. N. A. N. N. O. C. I. V. I.



SOLENNITATE

REG. LITTERIS IO. HENR. HALLERII, IMP.





I. N. D. N. J.

PROOEMIVM.



Uemadmodum rerum sublunarium non una eademque est facies aut conditio, ita quoque secundum cuiusque rei aut materiae indolem ac naturam diversimode statuendum, neque omnibus eundem juris rigorem; eandemve tractandi methodum, sed prudens congruum ac varium in variis rebus temperamentum pro substrate materiae exigentia adaptandum vel applicandum esse, quotidiana Experientia velut solida litteratura Magistra nos edocet: Qui ergo discrete, Et ut trito fertur adagio bene distinguit, bene docet: Selegi proinde praeter alius materiis elaborandas de Petitorii ac Possessorii, nec non Possessorii Ordinarii ac Summarii Differentia Positiones, cogitans, quod non tam raritati haderet pro vino vendendo quam utilitati materiae studendum foret; hanc

A 2

fi

* (4) *

si respicias, vere cum Ulpiano in L. i. ff. de in integrum restit. loqui licet: Utilitas hujus tituli non eget commendatione, ipse enim se ostendit: Si itaque pro utilitate materiae non dixerim elimatius, scias velim, disputationem non tractatum esse, illi ergo pro modicitate talendi insistens Deum T. O. M. rogo, ut conatibus assistere dignetur.

CAPVT PRIMVM
DE
DIFFERENTIA IVDICII PETITORII ET POSSESSORII.

THESIS I.

§. I.

Quanta sit inter iudicium petitorium nec non possessorium discrepantia, nemo Theoreticorum nedum Practicorum ignorat. Illud enim secundum D. Mollenbec. *Jurid. Divis. cent. i. divis. 77.* est, in quo de rei controversæ proprietate vel de alio jure agitur extra possessionem vel quasi, puta si res vindicetur *L. 36. de R. V.* Hereditas petatur *tot. tit. de petit. hered.* actio empti, venditi, locati conducti, depositi, aliave intente-
tur,

tur, vel si contendat quis jus eligendi, presentandi, aut conferendi sibi competere *c. 1. X. de ordin. cognit.*

§. II. Hoc est, in quo de sola possessione vel quasi contenditur, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda, quo pertinent interdicta. Utro autem iudicio petitorio an possessorio actum fuerit, ex conclusione Libelli apparet, *Canis. in Summ. Jur. Canon. Lib. 4. tit. 1.* Quanquam utrumque iudicium conjungi possit, vel in uno eodemque libello cumulari *L. 15. §. 1. ff. de Vi & Vi arm. l. 12. §. 1. de aq. pl. Fachin. 8. Controv. 6. Myns. 6. Obs. 93.* Quando igitur possessio vel turbata vel ablata, vel alia juris provisione cuiuspiam debita est, sicque actor vel tantum vult adipisci, vel retinere vel recuperare eandem, possessorium erit. Possessio autem & Proprietas tanquam excedentia & excessa inter se discrepant, ut ait *Matth. Coler. de Proc. execut. part. 2. c. 2. n. 247.* Quemadmodum porro res ipsa à possessione rei, ita petitorium à possessorio differt *L. si duo 3. inf. ff. uti possidet.* Illiusque causa dominium vel quasi, vel alius fundatus titulus, hujus vero possessio est. *Salicet. in L. Verius 21. n. 8. ff. de Probat.*

§. III. Ex hisce luculenter apparet, quod petitorium à possessorio & hoc vicissim ab illo per quatuor causarum genera, nisi causam efficientem excipere velis, toto coelo discernantur, si namque causam subjectivam respicis, invenies, quod in petitorio alter litigantium tantum Actoris, & alter Rei tantum partes sustineat arg. *L. 37. §. 1. ff. de O. & A. junct. L. 13. ff. de rejud.* In possessorio autem, potissimum retinenda possessionis interdictis, uterque litigantium & actoris & rei partibus simul fungitur §. 7. *J. de Interd. ed. L. 2. pr. ff. de Interd. L. 3. §. 1. uti possidet.* Observanda quoque singularis nota caracteristica, quod petitorio finito super possessorio agi non possit, secus vero e contra, docente id Hartm. Hartman. *Lib. 2. Obs. pract. tit. 45. Obs. 3. n. 2.* Ex ratione quod Proprietas ad se trahat possessionis causam *c. cum dilectus X. de caus. posses. & propriet.*

THESIS II.

§. I.

PRACTICI consilium ex hoc capiunt apprimè observandum, ne scil. quis habens utrumque remedium se petitorio committat, ubi videt se in possessorio obtinere posse, tutius enim est pro tuenda

enda vel consequenda possessione laborare, quam
 hac relicta arduam & spinosam proprietatis pro-
 bationem subire *c. saepe X. de restit. spoliat.* Mascard.
de Probat. vol. 1. concl. 535. & seqq. Hartm. Hartm.
Lib. 2. Tit. 45. Obs. 1. a. 7. & seqq. Cum enim,
 inquit Stryck. *cit. cap. 1. §. 23.* adepta Possessione,
 commodis quoque possessoris gaudeat, ita, ut
 non tantum particeps fiat fructuum, sed & ab onere
 probandi liberetur, inque casu dubio victricem
 sperare valeat sententiam, eo magis decebit Pra-
 cticos Possessorio studere. Sicut namque pra-
 stat possessioni incumbere, quam in personam agere
 Coler. *de Proc. Exec. p. 1. c. 5. n. 73.* ita pariter
 sententia in possessorio lata, antequam succum-
 bens ad petitorium convolare queat, omnino ex-
 equenda est: Neque fit reo iniuria, quia res in
 pristinum statum restituitur. Et sicuti antea poterat
 petere, ita & nunc, aſente Bart. *in L. 2. n. 7. ff. de appell. recip.*
 Absoluto autem possessorio, dicit Paul. de Castro *in L. si de VI. 37. ff. de judic.* tri-
 umphans actor fit reus in petitorio per text. singul.
in L. Et an eadem 14. de except. rei jud. ac proinde
 ab onere probandi liberatur, ut videre est in *c. Pa-
 storalis X. de caus. Possess. & Propriet.*

§. II. Sciat iudex, quod instituto petitorio, nisi cumlatio facta sit, super possessorio pronunciare non possit. Benedict. Carpzov. *Lib. 1. Resp. 72.* idem in *Process. tit. 1. art. 5. n. 18.* ubi citat Hartm. Pistor. & alios plures. Et vice versa, si actum fuerit solo possessorio iudici judicare fas non est in petitorio Carpz. *Lib. 1. Resp. 73.* item in *Process. tit. 1. art. 5. n. 26. & 27.* Nemo tamen credat illud summarium esse, quod partes ita vocitarunt, sed veritatem potius, quam errorem iudex spectare debet ac sequi Mev. *part. 9. dec. 14. n. 1. & 2.* Jurisperitus itaque in consilio dando sit cautus, in patrocinio præstando fidelis, & in iudicio justus, quoniam de talento sibi concredito tenetur reddere rationem, ut monet Speculat. *in §. fin. in fin. de Advocat.*

CAPVT SECVNDVM
^{D E}
 DIFFERENTIA POSSESSO-
 RII ORDINARII ET SVMMARII.
 THESIS I.

§. I.

Pæmissa Petitorium inter & Possessorium differentia, ad palmarem Disputationis materiam

riam propius accedendo, vocem Possessionis derivari video aut à positione pedum, quod in re possessa pes figuratur, sive potius à sedum positione ex mente Juratorum Pauli & Labeonis in *L. 1. prin. ff. acquir. ac amitt. possess.* i. e. rei insistentia apprehensionem vel occupationem denotante per *L. 3. §. 3. ibid.* Virgilius enim citatus à Calvin. in Lexic. Juridic. Voce possessio &c. ita canit: *Sedes ubi Fata quietas ostendunt &c.* Aut denique à posse sedere, sive potestate rei insidendi & incumbendi, sicque ex Etymologica notatione proxime dimanasse videtur, quanquam & varios à variis Lexicographis, ad quos me remitto, natales obtinuerit. Differunt ergo possessorium ordinarium & summarium Etymologice, quod illud plenum processus ordinem habeat, hoc vero summarim agatur.

THESIS II

§. I.

Non sumitur hic loci vocabulum possessionis, quatenus jus & titulum possessionis absque possessione indigitat, uti fit in *L. 115. de V. S. & L. 12. Cod. de fund. patr. Lib. 11.* Nec qua juris Universalitatem denotat ceu *t. t. C. & J. de bonor. poss. prator.* Minus qua proprietatem & dominium, prout *L. 17. de S. P. R. & L. 18. ff. de V. S. ubi: POS-*

B

SES.

SESSIONES SVAS LEGAVIT. Neque etiam Possessio hic significat habitationem prout VVehner. in *Pract. Obs. verb. Besizung* insinuat ; sed potius in thesi nostra generaliter capitur. Quæris causam præmissæ homonymiæ super possessione in genere considerata ? Hæc est, quod utrumque possessorium in ea sedes suas figat primogeneas, quodsi enim quis in possessione sua turbetur, in iudicio possessorio manutenentiã cum cautione de non amplius turbando media convenienti actione à iudice petit : Si contingat auferri possessionem, per remedia illius recuperandæ sibi consulit : Si demum ex provisione juris possessionem sibi tribui sciat, per remedia adipiscendæ possessionis experitur. De primo casu vide *tit. ff. uti possid. §. 4. Inst. de Interd.* Menoch. *remed. retin. possess. 3.* per totum optime in hac materia scripsisse videtur Strykio Ludovicus Postius Ictus Perusinus in *tractatu de Summarissimo Possessorio & Decreto Manutenentiæ.* De secundo casu videatur Gail. 2. *Obs. 75.* ubi *num. 9.* remedia recuperandæ possessionis ex ordine recenset. De tertio casu percurrantur tituli Pandectarum, Quorum Bonorum, Quod Legatorum, & remedium *L. fin. Cod. de Edict. D. Hadrian. tollend.* Bachov. *ad Treutl. ff. b. t. v. 2.*

* (n) *

l. v. 2. p. 656. Carpz. 6. Resp. 19. n. 7. in quo ultimo tamen Richt. in tr. de Testament. Diss. ult. à prioribus dissentit.

§. II. Ex eo, quod possessorium ordinarium oppositive ad petitorium dicatur summarium, Marant. *de ord. judic. Diss. 9. n. 43.* non pauci confunduntur, putantes eo ipso, quod possessorium sit, omne tale intelligi Summarium: Eapropter non male alii summarium ad distinctionem ordinarii appellant Summarissimum, licet idem sit possessorium Summarium, Summarissimum & Momentaneum. Est interim & manet magna differentia Ordinarium inter & Summarium, quando hoc illi opponitur. Ordinarium etiam apud Practicos dicitur plenarium, summarium e contra in diversis regionibus diversa sortitur nomina, de quo videatur Gail. 1. *Obs. 7. n. 6. Stryck. in Diss. de Decret. Interim. cap. 1. n. 29. & mult. seqq.* quo brevitatis gratia sit remissio, talia autem nomina non habet ordinarium.

THESIS III.

§. I.

UT sua cuique inter se distincto Possessorio competens detur sedes, discerni illud videmus in ordinarium sive plenarium ex una- & ex al-

B 2

tera

tera parte in extraordinarium, summarium, summarissimum & momentaneum, quæ omnia Synonyma sunt. Gail. *Lib. 1. Obs. 7. num. 1.* Andreas Cludius *Rerum quotidian. cap. 4. n. 37.* Brunnem. *in proc. civil. cap. 1. n. 45.* ubi vide castigari, quod Petr. Frid. Mindan. *in Tr. de Interd. c. 13. num. 24.* & seqq. cum Sarmient. *Lib. 2. Select. Interpr. c. 13.* male fenserit dictam divisionem non admittendo. In quo non tam unius summarii processus præ alio discrepantia & celeritas, quam oppositio summarii respectu ordinarii attendenda erit.

· THESIS IV.

§. I.

Possessorium ordinarium est iudicium, in quo pleno juris ordine servato super sola litigatorum possessione, uter justiore & magis titulata habeat, disceptatur, Menoch. *in Tr. de remed. recuper. possess. 4. n. 470.* Andr. Clud. *cit. cap. 4. n. 37.*

§. II. Extraordinarium, Summarium, Summarissimum seu Momentaneum est iudicium, in quo de possessione celeriter & summarie, per probationes etiam imperfectas proceditur Stryck. *d. cap. 1. §. 19.* Mindan. *de Interd. cit. cap. 13. num. 8.* Blum. *in proc. Cam. tit. 31. n. 10.* Dicitur Extraordinarium, quod non observetur in eo juris ordo :
Sum-

* (13) *

Summarium appellatur quod in eo sola facti veritate inspecta celeriter & velo quasi levato procedatur: Nominatur Summarissimum ad distinctionem ordinarii: Denique nuncupatur Momentaneum, quod lata sententia non perpetuum, sed momentaneum & reparabile præjudicium adferat Joannes Christ. Schambogen ad *Instit. tit. 25. de Interd. §. adipiscenda p. m. 266.*

THESIS V.

§. I

Veluti autem ex nomine, divisione, & definitione possessorii Ordinarii à Summario palpabilis differentia secundum modo dicta elucescit, ita quidem ex causa efficiente remota ejusmodi dari nequit, quia cum per allegat. Brunnem. in *proc. civ. c. 1. n. 45. & Mindan. cit. cap. 13. n. 13. & 24. cum seqq.* hæc duo disparata judicia Jus Civile discrepantè non introduxit, consequens est hodiernam praxin & observantiam forensè, remotam amborum causam nuncupari debere.

§. II. Causa efficiente proxima, quæ est post institutam actoris intentionem congrua à reo facta litis contestatio *L. unic. C. de Litis Cont. l. 15, ff. ratam rem haberi c. 30. X. de V. S.* Judicia possessoria ordinarium sc. & summarium in hoc con-

B 3

veniunt,

Veniunt, quod utrumque requirat Litis Contestationem veluti ipsam iudicii fundandi substantiam *d. L. unic. C. de Lit. Cont.* Hanc enim nec à iudice, nec consensu partium omitti posse, tradunt Interpretes in *rubr. & tit. de Lit. Contest. Authent. offeratur Cod. cod. tit.*

§. III. Differunt vero primo in hoc, quod ad possessorium ordinarium solennis Litis Contestatio requiratur, e contra in summario qualiscunque, modo aliqualis sit partis adversæ contradictio, sufficiat. *Felm. in c. insinuante in fin. X. de Offic. & potest. jud. delegat.* Joannes Zanger. *de Except. p. 1. cap. 2. n. 24.* Hartm. Pistor. *p. 1. q. 13. n. 25.* Ratio hujus ex 2da differentia confurgit, quod in summario opus non sit solennis Libelli oblatione. *Clem. 2. saepe. de V. S.* sed sicuti sufficit aliqualis petitio & facti narratio actoris, ut reus deliberare possit, cederene velit, an contendere. Zanger. *de Except. d. c. 2. n. 14.* Ita ob mutuum libelli & Litis Contestationis respectum qualis qualis rei responsio subsistit. Male igitur Georg. Obrecht. *in Disp. de Judic. in ordine 2da num. 6. & seqq.* pro causa efficiente propinqua iudicii actorem, reum, & iudicem poluit: Ut ut enim hæ personæ velut
causæ

causæ subjectivæ in judiciis considerentur, causam tamen efficientem proximam non inferunt.

§. IV. Hoc tamen concedimus, quod partes utrimque litigantes, ex possessorio ordinario summarium processum, interventione pacti efficere possint, *L. cum anterioribus ult. §. ult. Cod. de tempor. appell.* Jacob. Schultz. *Obs. 3. n. 235.* Speculator. *de Libell. Concept. §. 9. n. 8.* Atque ita Actor & Reus quandoque causa efficiens proxima Processus Summarii forent: Quod licet in aliis longam moram præferentibus processibus subinde, vix tamen aut ne vix quidem in possessorio continget; Nemo quippe Reorum ordinarium sibi converti permittet in summarium.

THESIS VI.

§. I.

PRout jam jam dictum est, judiciorum possessoriorum subjecta sunt Actor, Reus & Judex, quæ quia in omnibus humanis contradictorii fori processibus, nisi causas contumaciales, in quibus contra Reum licet absentem proceditur, excipere velis, interveniunt, hoc igitur ex capite differentiam peculiarem eruere nequibis.

THE-

* (16) *
THESIS VII.

§. I.

CONsideratis causarum in possessorio versantium generibus, propatulum quidem est, quod tam in ordinariis quam summariis partim materiae Ecclesiasticae partim Seculares, partim Mixte, uti & Civiles ac Criminales, qua etiam Prajudiciales, qua Principales causae interfluant, suus tamen cuique ordo & proportionata iudicii tela deputanda venit : Ex quibus confectarium est, quod non praecise ex causis ad litigium summarium vocandis, sed ex earundem qualitatibus potissima momentanei iudicii possessorii ab ordinario pullulet differentia, quando enim ultimos legitimae possessionis actus quis docere potis est, ex hisce habet fundamentum intentandi summarii, eapropter pro singulari cautela saepe laudatus Stryck. in *Introd. ad prax. for. c. 1. §. 25.* commonefacit, ultimam enim & praesentem possessionem sequitur iudicium in momentaneo. *Mev. Part. 2. Dec. 236. n. 3.*

§. II. Diximus : *Legitimae possessionis* ultimos actus, ut excludantur possessores clandestini, & violenti, hi etenim, utut naturalem, non tamen civilem possessionem, nisi verus dominus & possessor

fessor suapte desistat, perque hoc civilem tradat,
 acquirunt. Quo de vide sis Bernard. VVurms.
lib. 1. tit. 44. Obs. 3. n. 1. & 2. Quin potius clan-
 destinus possessor vim inferre dicitur, statimque
 repelli potest, repulsus vero super spolio queri non
 habet. text. & DD. in *L. clam possidere §. qui ad
 nundinas ff. de acquir. possess. & cap. olim X. dere-
 stit. spoliat.* Possessori siquidem actus, qui clan-
 culum facti sunt, ac causam liti dederunt, nemi-
 nem juvant, nec in possessorio defendunt Matth.
 Berlich. *Dec. 26. n. 39.* Ex hisce infert Postius in
Tr. de Decret. Manuten. Obs. 48. n. 4. & seqq. quod
 Possessio lite pendente obtenta non sit attendenda
 nec manutenenda, sed ut attentata, turbativa &
 improba reputanda: Immo pendente lite pos-
 sessionem tamen vacantem apprehendere non li-
 cet, sed per mandata attentatorum revocatoria
 possessor ea privari potest. Klock. *tom. 1. conf. 7.
 n. 62. & seq. Uti & conf. 29. num. 536. & seq. & n.
 787.* Quando autem Doctores ajunt neminem
 à possessione sua, utut vitiosa, esse removendum
 sine cause cognitione, intelligendum est de eo,
 qui binum vel trinum actum pacificum exercuit,
 per notata in *C. cum Ecclesia Sutrina Extrav. de
 caus. possess. & propr. Gail. 1. Obs. 5. n. 5.* Qui igitur

tur ultimos actus possessionis quietæ non sed forte alios probare potest, videndum est, num ratione priorum contradictionem & resistantiam; possessionis antiquioris habeat; casu quo ita, pro legitimo possessore haud poterit agnosci post Menoch. Honded. & alios docet Klock. *de Contrib. cap. 19. num. 147. & Tom. 1. Conf. 8. n. 220. Uti & Conf. 10. n. 148. Schrader. Vol. 1. Conf. 4. num. 159.* Qui è diverso pacificos actus aliquos adstruere potest, tute eligit & fundat summarissimum, quæ distinctio in ordine ad ordinarium probe observanda est. Quo Cicero *pro Cecinna* è rostris perorans, & in cancellis summarii possessorii subsistens abire videtur, dum super petitorio & plenario possessorio hisce protestatur verbis: *Nondum de tua causa quero, nondum de jure possessionis disputo.*

§. III. Sunt, qui congefferunt causas, in Summario versabiles, inter quos Jacob. Schultz, qui allegata *Obs. 3. centum & quinquaginta* refert: Et Joannes Zanger *de Except. pag. 1. cap. 1. quadraginta* numerat & Doctorum Authoritatibus confirmat. In Ordin. Camer. *p. 3. c. 2. triginta* recensentur. Notandum tamen est, quod non omnis causa summaria sit possessoria, sed illa genus est, hanc

hanc ut speciem includens, vel ut Philosophi lo-
quuntur: Illa species, hæc vero ut individuum lo-
gicum audit. Utinam interim omnes causæ sum-
marie summariter etiã tractarentur! Imperiti
vero Advocati vel hoc ipsum cum imperitis judi-
cibus sæpissime negligunt, vel studio emungendi
partium marluppia, injiciendæ adversario re-
moræ gratia, qua manibus qua pedibus Summa-
rium declinare collaborant: sciant autem Judi-
ces, quod ipsis pro temporis, personarum, & cir-
cumstantiarum exigentia facultas fit Ordinarium
in Summarium convertendi *Mev. Part. 2. Dec. 230.*
Vultej. Lib. 2. Jurispr. Roman. cap. ult. in fin. *Ventur.*
de Valent. in Parthen. Litig. Lib. 1. cap. 3. num. 3.
Ubi injungit Judicibus brevitati Litium studere.
Qui igitur patientur, ut processus sua natura sum-
marius in ordinarium non minus vitiosa quam
pretiosa transformetur metamorphosi? Unum
summarium Judicium in viridi observantia floret
scil. **das Rügen-Gericht**: Et bene fit, juxta *L. Le-*
via 6. ff. de accusat. AA in authent. *nisi breviores*
C. de sentent. ex brev. recit. Ratio dari posset,
quod ærarium fisci non patiatur longas moras.

§. IV. Non fugit nos, quod Joannes Brun-
nemann. *Conf. 72. n. 5. & Conf. 158.* cum Gail. Plot.

Contard. & Klock. docet, non deveniendum ad
 summarium processum, nisi ubi armorum metus
 probabiliter timeretur; sed re penitus inspecta,
 contrarium dicendum est; Mevius enim *part. 6.*
Decif. 395. summarissimum refert de decimis, ubi
 nullum armorum periculum intervenerat: Quin
 etiam si ex rixis, jurgiisque quotidianis metus ar-
 morum praesumatur, summarium possessorium
 non habet locum, sed ordinarium arripiendum
 est, teste Blum. *in process. Camer. tit. 31. num. 8.*
 At hoc enim ad inventa est pragmatica Constitutio
 Imperii in Anno 1512. §. 57. erecta de litigiosa pos-
 sessione, quæ in Ordinatione Camerali Anno 1521.
art. pen. Recess. Imp. de Ann. 1548. & 1555. Cammer
Concept. p. 2. tit. 22. & seqq. repetita, & ampliata
 legitur, in hunc finem, ut inter mediatos Imperii
 Proceres, si hi super possessione litigarent, certum
 jus dici possit. Quatenus autem dicta ordinatio
 & Gail. *1. Obs. 5. num. 1.* sint intelligendi, desuper
 legatur Consultum Augustissimi Collegii Came-
 ralis *de Anno 1576. & Blum. cit. tit. 31. num. 11.* cum
 multis seqq.

* (21) *
THESIS VIII.

§. I.

TRalacitium est, quod forma det esse rei *L. d. vus. 7. ff. de in integr. restit. L. Julianus 9. §. si quis rem ff. ad exhib. Aristot. Physic. Lib. 1. Cap. 9. quest. 10. art. 1. Everhard. in topic. Legal. loc. 53. Tiraquell. de Retract. Convent. §. 4. Gloss. 6. n. 31. Unde mutata forma, tota res mutata & extincta censetur ex d. §. si quis rem ff. ad exhib. L. Seja 6. ff. de aur. & argent. Legat. Quandoquidem igitur possessorium ordinarium juris ordine servato per solennis Libelli exhibitionem, solennem Litis Contestationem (ad quam tamen hodie, ut olim non requiruntur Testes. *Vinn. Lib. 1. Quest. 17. Vult. de judic. Lib. 1. Cap. 1. n. 127.*) ordinariam de possessione controversa probationem, reprobationem, conclusionem & sententiam conficitur, & deducitur. *Carpzov. in process. tit. 1. art. 5. num. 33. Blum. in Proc. Camer. cit. tit. 31. n. 28.**

§. II. Ex hisce singulis propemodum membris plus quam sesquipedalis excurrit differentia. Petis formam Possessorii summarii? Ecce! Sanctam Sanctionem Clementis V. in cap. saepe contingit de verb. signific. ibi: saepe contingit, quod causas committimus, & in earum aliquibus simpliciter, &

de plano ac sine strepitu & figura iudicii procedi mandamus, de quorum significatione verborum à multis contenditur, & qualiter procedi debeat dubitatur. Nos autem dubitationem huiusmodi (quantum nobis est possibile) decidere cupientes, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, ut iudex cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indulgentiarum à iure, procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat brevioris, exceptiones, appellationes dilatorias & frustratorias repellendo, Partium Advocatorum & Procuratorum contentiones & iurgia, testiumque superfluum multitudinem refrenando &c. Huc faciunt textus Juris Civilis in L. hac actione 3. §. sciendum est 9. vers. Iudex igitur summam ff. de exhib. L. miles 11. §. sexaginta Verb. quoniam de plano ff. ad L. Juliam de adult. L. nec quidquam 9. §. de plano 3. ff. de offic. Proconsul.

§. III. In eundem fere modum formam processus summarii apud Mevium p. 2. dec. 236. n. 6. Josephus Ludovicus Perusinus describit part. 1. dec. 20. n. 2. summarium possessorium, inquit, est illud, quod tanquam vacans ab utraque Partium apprehen-

prehendi festinatur, alter alterum impediendo, perturbando & inquietando, cum unus ante alterum & quisque eorum dictam possessionem utique vacantem apprehendere intendit, ut quando verus possessor rei mortuus est, & uterque eorum defuncti possessoris heredem se esse pretendit, dictaeque rei possessionem ingredi properat, & nemo eorum vult offerre libellum, sequit in iudicio actorem constituere, ac propterea timor est, ne quandoque ensis pro Libello offeratur: Vel quando possessio non vacaret, sed nihilominus uterque eorum se in possessione esse prætenderet, & se ad invicem inquietaret, alter alterum in dicta possessione perturbando, cum nemo eorum reus, sed uterque se actorem esse profiteretur, & propterea timor esset, ne ad arma venirent. Et tunc Judex vel ad partis petitionem, vel ex officio summarias recipit informationes absque ullo penitus libello, & partis citatione seu petitione, & absque ulla Lit. Contestatione, sed summarissime se informabit ac providebit, ut rixae & scandala sedentur. Illud cum petit, pars tantum imploratione Judicis officii opus habet. Uti Judex ex officio utitur per informationes procedens, unde processus in illo informativus à Jctis vocatur: Hoc namque certum est, quod exceptiones altioris indaginis in Summario
rejici-

reſciantur. *Mev. part. 2. Dec. 281. n. 5.* Quomodo in Camera poſſeſſorium ſummarium tractetur ſcribit *Blum. in Proc. Cam. tit. 31. n. 29.*

§. IV. In forma probandi Summarium admittunt *Modestini. Piſtor. vol. 1. conf. 51. n. 16. Mascard. de Probat. Concl. 1362. num. 15. & Benedict. Carpz. in Proc. tit. 1. art. 1. n. 40. & ſeqq.* Teſtes non juratos, ſed cum ultimus ſibi ipſi ſit contrarius ut patet *in tit. 23. art. 1. n. 36. & ſeqq.* Quod & tenet *Mev. part. 8. Dec. 492.* teſtimonio jurato inſiſtendum erit. Hoc quidem concedimus in teſtimonio jurato non requiri plenam probationem, *Mench. recuper. poſſeſſ. remed. 15. n. 473.* ſed ſufficere unius omni exceptione majoris teſtis elogium juratum, *Proſp. Farinac. de Teſtib. Quæſt. 63. c. 1. n. 33.* Quando igitur jurare teſtem neceſſe eſt, pars adverſa ad videndum produci & jurare citanda eſt, quod & Camera obſervat teſtante *Rug. Ruland. in Tr. de Commiſſ. part. 2. lib. 2. c. 3. num. 1.* ubi hunc duntaxat caſum, ſi periculum in mora ſit, exceptit.

Sunt iterum *Mev. part. 2. Dec. 237.* Et *Carpz. cit. tit. 23. n. 24.* in hoc invicem contrarii, quod hic eſſentialiter & ſemper in poſſeſſorio ſummario Citationem requirat, alter autem tum demum

mum admittat quando turbationes & turbarum pericula dubia sunt, resque moram patiat, quando autem periculum in mora est, sine citatione progredi licere asserit *Mev. cit. dec. 237. n. 5. cum reliquis ibi adductis DD.* Non tamen ex omni parte hujus sententia firma & universalis est, siquidem sibi ipsi in hoc contradicit, dum propter omissam citationem remedium appellationis locum habere adstruit *part. 9. Dec. 14. n. 5.*

§. V. In ordinario possessorio plenam probationem requiri superius dictum est; Summarium autem sicuti semiplenis probationibus evinci potest, ita neque reprobationem patitur *Covarruv. pract. quest. 17. n. 4. Rauchbar p. 2. quest. 6. n. 65. Anton. Peregrin. de fideicomm. art. 46. n. 34. Anton. Capicius Decis. Neopol. 55. n. 5.* Quantum autem reo indulgendum sit, iudicis arbitrio multum committitur, huic enim probatio fit, per ea, quæ tradit *Mev. part. 3. dec. 132. n. 2. §. 3. L. 3. §. fin. ff. de Testib.* Reprobationis tamen loco contraria quædam demonstratio, ac summaria probatio, qualis scilicet actori permessa fuit, conceditur *Carpz. in J. P. F. part. 2. Const. 7. def. 17.* Sicut & Testium productorum falsitatem, contrarietatem, vilitatem, aliaque vitia demonstrare licet, *Cothmann.*

D

Resp.

Resp. 20. n. 19. vol. 1. quod tamen ante latam sententiam fieri debet, utur hæc per deductionem nullitatis impugnata sit. Mev. part. 6. Dec. 300. num. 3. & 4.

§. VI. Etiam summarium ab ordinario discernitur in hoc, quod exceptiones altioris indaginis illud non admittat *Mev. part. 2. Dec. 281. n. 5.*

§. VII. Denique differt Summarium possessorium ab ordinario, quod hoc cum petitorio cumulari, per *C. cum dilectus de caus. possess. & propriet. text. singul. in L. baredes 7. §. de pluribus ff. famil. ercisc. judic. L. non est novum ff. de act. empt. Dec. 1. Conf. 212. n. 4. de restit. in integr.* Illud autem omnino non possit, quum nonnisi de ultimis legitimæ possessionis actibus quærat: Eapropter Summarium est præparatio Ordinarii, & Ordinarium est principium Petitorii *Gail. 1. Obs. 32. n. 11. Ordin. Camer. p. 2. cap. 21. in fin.* **Verf. Und alsobald darauf Summarie ohne einigen Gerichtlichen Proceß oder weitläuffige Ausföhrung der Sachen ic.**

THESIS IX.

§. I.

Distinguitur effectu possessorium Summarium ab Ordinario quam maxime, potissimum

mus enim EFFECIVS SVMMARISSIMI in hoc consistit, quod iudex cito prospiciat, ne Lite diu pendente super proprietate vel possessione partes veniant ad arma, se invicem turbando, ensaque pro libello ostendentes. Bald. in *L. quisquis ff. quorum appell.* Gail. 1. *Obs.* 7. n. 3. Carpzov. in *Proc. tit.* 23. n. 18. Quantumvis etiam ordinarium tutissimam possessionis viam sternat, illud nihilominus causam interim meliorem reddit. argt. *Leg.* 63. ff. de *R. I.* præsumptionem pro obtinente haud modicam infert. Cravett. *Conf.* 789. n. 2. & seqq. Menoch. de *retinend. possess. remed.* 3. n. 650. & seqq. Berlich. *part.* 2. *dec.* 233. n. 20. ita ut magni momenti ac præjudicii esse dicatur à Cæs. Ursill. ad *Afflict.* *dec.* 364. n. 12. Wamel. de *appellat. c.* 2. n. 3. Quibus non adstipulantur Gail. 1. *Obs.* 7. n. 6. & Rauchbar. *p.* 2. *q.* 16. n. 71.

§. II. Specialior differentia Summarii possessorii ab ordinario ab effectu descendit, quod in illo appellationes non concedantur. Berlich. *p.* 2. *dec.* 276. *per tot.* ubi fuse ex Jure Civili, Canonico, Praxi, & Variis Authoribus suam opinionem adstruit. Ordinarium è diverso possessorium si non Jure Civili, ut docet Mynsing. 6. *Obs.* 13. *num.* 1. saltem jure Canonico appellabile est: *C. accedens* 2.

*X. ut lite non contest. non proc. cap. cum ad sedem 15.
X. de restit. spoliat. Clem. unic. de Caus. poss. & pro-
priet. D. Referens apud D. Joannem Fridericum
Hoffman. Relat. 9. n. 6.*

§. III. Si vero Summarium possessorium institutum fuerit, in se autem re vera possessorium non fit, appellatio æque ac in cæteris admittitur, *Mev. p. 9. dec. 14. n. 1. & 2.* Uti & si admixtam habeat causam, intuitu hujus appellatio denegari nequit, Quando etiam per sententiam summarii nonnisi petitorium reservatum est, appellatio locum invenit. *Græv. Lib. 1. Concl. 7. Consil. 2. n. 5. & 8. Carpz. Lib. 1. Resp. 14. per totum.* Per hoc enim fit præjudicium possessioni maxime momentosum, sicque etiam Summarium possessorii Ordinarii exclusivum appellabile est, *Carpz. d. p. 1. Resp. 1. n. 4. & seqq. Mev. part. 6. Dec. 395. per tot.* Plures limitationes vide apud *Sacc. de appellat. quest. 17. lim. 6. memb. 7. n. 1. & seqq.*

§. IV. Neque etiam Summarissimum possessorium latæ sententiæ Revisionem Actorum patitur *Bender. de revis. actor. Concl. 35. n. 46.* Immo beneficium Restitutionis in integrum in hoc cessat *Contard. in L. unic. Cod. si de momentan. pos. sess. fuerit appell. lim. 8. n. 22. Petr. Benintend. Dec.*

79. n. 8. Covarr. *Lib. 1. pract. quest. c. 17. num. 4.*
 Sigism. Scacc. *de appell. d. 9. 17. lim. 6. memb. 2. n.*
 Quos omnes refert & sequitur Matth. Berlich. *p. 2.*
dec. 276. n. 24. Econtra hæc omnia sententia in
 possessorio ordinario pronunciata admittit.

§. V. Statuit etiam laudatus Matth. Berlich.
d. dec. 276. n. 25. cum Andr. Cludio *Lib. 1. Rerum*
quot. c. 7. num. 135. Et seqq. quod contra summaris-
 simi sententiam querela nullitatis obmoveri ne-
 queat, sed in hoc obstat Mev. *p. 2. dec. 352. num. 1.*
 ubi præjudicium affert. Ratio auctorem movit,
 quod hæc nullitatis querela non videatur exclusæ,
 neque sublata, appellatione licet adempta. Gail.
1. Obs. 135. per tot. qui docet hanc querelam non
 gaudere effectu suspensivo, sed duntaxat devolu-
 tivo. Gail. *cit. l. n. 7.*


§. VI. Ulterior ab effectu Summarium in-
 ter & Ordinarium possessorium est differentia,
 quod sententia in hoc lata nonnisi ad petitorium
 recurri possit. Pronuntiata econtra sententia in
 summario patet succumbenti qua ad ordinarium
 possessorium, qua etiam ad petitorium accessus.

* (30) *
THESIS X.

§. I.

FINEM PRIMARIUM constituimus ordinario, ut legitimo processus possessionis probativi ordine tutam undequaque possessionem inferat, quo sine habito, non nisi petitorio, ut saepe diximus, locus remanet, qua de causa definitiva dicitur sententia. Gail. 1. Obs. 7. n. 4. Summarii e contra finis est possessorii, ut obtenta manutenentiae sententia quippe Interlocutoria ultio rem ordinarii quam petitorii relam judiciale m non abrumpat succumbenti: Ordinac. Camer. p. 2. cap. 21. Carpzov. in proc. tit. 23. art. 1. n. 30. Ne igitur nimium excurramus, licet materiae gravitas plura ac nitidiora exposcat, nobis abrumpendum est.

Et Defens prædictas theses In honore
lesV InCepl, & parltter flnllt.



COROL.

* (31) *
COROLLARIA.

I.

*Sicut omnis actus voluntatis libere procedit,
ita non datur omisio actus pura libera.*

II.

*Jus Canonicum, in quo à Civili discrepat,
quoad materiam peccati observandum.*

III.

*Res Ecclesiasticas in feudum datas centum
annorum spatio præscribi sanior est Doctorum sen-
tentia.*

IV.

Præstat tolerare Tyrannum, quam necare.

V.

*Statuta Tribuum, etsi non confirmata, à po-
tissima tamen Contribulorum parte inita obligant
Contribulos loci, non alios.*

VI.

*Defendi potest regimen modernum Imperii
esse Monarchico-Aristocraticum, si non undequaque
verum-saltem analogicum.*

SOLI DEO GLORIA.

COLOFONIA

...

...

...

...

...

...

...

...

...



Größen, D. 55., 1713-15


ULB Halle

3

005 356 717







B.I.G.

Farbkarte #13

I. N. L. G. 35. num. 5. F. 6.
1714, 1/5

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
**IVDICII PETITORII AC
POSSESSORII,**
VTI ET
POSSESSORII ORDINARII
AC SVMMARII, DIFFERENTIA,

QVAM
SVB PRAESIDIO DIVINO
EX AVTHORITATE ET CONSENSV MAGNIFICI NEC
NON AMPLISSIMI IVR. CONS. ORDINIS,
IN ILLUSTRIVNIVERSITATE LVDOVICIANA,
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE AC LEGITIME CAPESSENDIS,
PVBLICO AC SOLENNI MAGNIFICI ACADEMICI SENATVS
EXAMINI SVBMITTET

AD DIEM 12. IVNII ANNI MDCCLXIV.

IOANNES BOLLES,
MESCHEDENSIS, MODO SIGENAE NASSOVIAE
ADVOCATVS ORDINARIVS.



SOLTQVELLAE,
REC. LITTERIS IO. HENR. HELLERI, 1735.

